



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Decisio XCV. De Muliere pro aliis intercedente, vel cum aliis alium  
contractum celebrante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



# TITULUS XXII.

De Fideiufforibus.

DECISIO XCV.

De Muliere pro aliis intercedente, vel cum aliis  
alium contractum celebrante.

## *SPECIES FACTI.*

**T**heresia, honesti & opulenti  
praxatoris filia, pietatis & mi-  
sericordiae studiosa puella,  
nupsit Ignatio mercatori, eique  
praeter dotem attulit paraphernalia  
ad 8000. florenorum. Ignatius,  
ut erat vir solers, una cum fratre  
suo Antonio, ut auget rem fami-  
liarem, auctis mercibus, ad quas  
comparandas multo aere opus ha-  
bit, negotiationem suam augere  
statuit, sed absque fideiuffore mu-  
tuum hi duo fratres consequi non  
poterant. Quare ambo accedunt

Theresiam, & blandis verbis facile  
ei persuadent, ut fideiussionem ad  
4000. promitteret sicut viro ita &  
ejus fratri, cuiuslibet ad 2000. Qua-  
propter erectum est instrumentum,  
in quo Theresia se obligavit pro ma-  
rito simul ac pro Antonio fratre fi-  
deiubendo, & simul omni privile-  
gio mulieribus competenti, ac in  
specie S. C. Velleiano renuntiavit.  
Successu temporis ex bonis, quae se-  
cit recepticia, quingentos florenos  
dedit mutuos sine usuris, & alios  
500. donavit cuidam sacello ad ex-  
or.



ornandam quandam B. Virginis  
 imaginem. Jam

Quæritur 1. An hæc intercessio  
 Theresiæ pro marito Ignatio, 2. an

pro Antonio fratre mariti, 3. atque  
 illud mutuum ab ea datum, ac do-  
 natio pia fuerint actus validi?

## QUÆSTIO I.

An intercessio seu fideiussio Theresiæ pro marito facta  
 subsistat?

### Rationes dubitandi.

Quamvis de Jure Communi  
 certum sit, quod mulier pro  
 marito suo sicut bona sua op-  
 pignorare, ita & fideiubere nequeat  
 ob prohibitionem *Auth. si qua mulier.*  
*C. ad S. C. Velleianum*, quæ ejusmodi  
 fideiussionem irritam fecit, dubium  
 tamen est, an talis intercessio seu  
 fideiussio non subsistat in casu, quo  
 mulier expresse ac in specie huic suo  
 privilegio *d. l. ad S. C. Vell.* postquam  
 de illo certiorata & debite informa-  
 ta fuerit, renuntiat, uti in præsentia  
 contingit. Et tali renuntiatione sim-  
 plici non obstante (aliud enim foret,  
 si renuntiatio esset jurata, saltem  
 de Jure Canonico per *c. cum contin-  
 get de Jurejur.* cui hac in parte  
 standum, item si fieret in Judicio,  
 vel munita esset publico instrumen-  
 to cum tribus testibus.) uxorem  
 non ligari fideiussione, adeoque  
 hanc irritam & nullam esse, docent

plurimi & gravissimi DD. uti Mo-  
 linade *f. & f. tr. 2. d. 540. n. 5.* Ja-  
 son in *l. sciendum n. 31. ff. de V. O.*  
 Treutl. Ant. Tessor. Card. Tusch.  
 Petr. Barb. apud & cum D. Baltha-  
 sar Præd. Resolut. iii. l. resol. II. n. 15.  
 item Zæf. de Ballis, Glettle & c. qui  
 suam opinionem

Fundant 1. in *Auth. si qua mulier*  
*cit.* ubi mulier non solum prohibe-  
 tur quocunque modo obligare se  
 vel sua bona, sed etiam consensus  
 illius annullatur: ergo & renuntian-  
 di huic privilegio potestas ipsi a-  
 dempta est. *arg. l. doti ff. diversum ff.*  
*de Novat.* Jason. in *l. non dubium n. 17.*  
*C. de Legib.* Fundant 2. in *l. 2. ff. I.*  
*ff. ad S. C. Velleian. & l. 2. ff. de R. J.*  
 ubi foeminis eodem modo prohibe-  
 tur fideiussio, quo modo ipsis pro-  
 hibetur, ne sint Judices, aut alia of-  
 ficia civilia viris propria exercent:  
 ergo non obstante, quod facta re-  
 nun-

D 2



nuntiatione sui privilegij velint fideiubere, tamen non possunt. Et hinc fundant 3. in eo, quod in potestate privatorum non sit renuntiare privilegio introducto à Jure Publico. *l. Jus publicum. ff. de Pactis. c. 12. de for. compet.* cum Juri publico privatorum pacta prævalere nequeant. Fundant 4. in imbecillitate naturali

mulierum, inconsultò judicio facile sibi & rebus suis præjudicantium impositâ fideiussionis obligatione, quæ imbecillitas fuit causa S. C. Velleiani, quo prohibetur earum intercessio; siquidem æque faciles credendæ sunt sceminæ ad renuntiandû huic privilegio, quàm ad intercedendum.

### Rationes decidendi,

**V**erius tamen esse existimo cum Fachin. Bartol. Cassanæo, Frid. Pruckman, & P. Schmalzgrueber *tit. de fideiuss. n. 25.* & aliis ab ipso allegatis, sceminam prius debite de suo privilegio certioratam valide eadem renuntiare, proin in nostra hypothese ubi id contigisse refertur, fideiussionem subsistere; sicut juxta communem actus tenet, si mulier, etiam sine renuntiatione fideiubens, inde commodum accepit, v. g. si pecunia marito mutuata in uxoris utilitatem manifestè versa & expensa est, vel vicissim si illa per malam rei familiaris administrationem, luxuriam &c. in causa fuit, ut vir ære alieno gravaretur: aut si mulier unâ cum marito in eodem instrumento se obliget pro sua utilitate, vel in utilitatem tam suam quàm mariti communem, v. g. mutuas pecunias accipiendo ad conservanda bona communia. Sicut, inquam, in his casibus ex communi

sensu obligatur uxor pro marito vel cum marito se obligans, Balhafar *n. 17. 19. 24.* ita obligatur, quando privilegio suo discrete renuntiavit. Probatur 2. ex communi principio, quod cuilibet sit permissum renuntiare favori principaliter pro se introducto. *l. si quis in conscribendo. C. de Pact. c. 12. et.* Sed privilegium S. C. Velleiani principaliter est introductum in favorem sceminarum, ex infirmitate & imprudentia sua facile inducendarum ad aliquid sibi nocivum faciendum; ergo. *Min.* probatur ulterius ex *28. de jurejur.* ubi juramentum huic renuntiationi adjectum valere dicitur & servandum; quod verum non esset, si ob favorem publicum immediate & principaliter, & non in favorem sceminarum esset introductum. Confirmatur ex Jure Bavarico *tit. 1. art. 12. 13.* ubi pro valida habetur renuntiatio hujus privilegij, at non aliter, nisi sequentem



in modum fiat. 1. debet adhiberi certiorator, *Quereis* / qui debet esse distincta persona a creditore, uti & ab assistente uxoris, *Weyß* / *ständer* seu *Mitfertiger* / ac probe intelligere foeminarum privilegia: qui assistens subscribat una cum muliere, si verò mulier scribere non possit, vel sigillum non habeat, atque propterea Notarium adhibeat, ille simul certiorator esse non prohibetur. Cancellar. Schmid ad *Art. 13. n. 4.* 2. iste certiorator debet sua privilegia plenè mulieri explicare, ac in specie interrogare, utrum velit solum renuntiare privilegio, vi cuius pro marito invalide se obligat, vel etiam privilegio prælationis, quod ratione bonorum, *liber Weiblichen Sprüchen* / ipsi

competit in concursu creditorum mariti. 3. interrogare, an sponte suscipiat obligationem pro marito, & non minis vel alio modo adacta. 4. an intercessio sua forte sibi, vel marito, vel liberis non tam in utilitatem quam in damnum cessura videatur, quod bene ipsam perpendere jubeat. 5. hæc omnia distinctè & clarè proponat; nec opinetur sufficere, si in instrumento terminis generalibus exprimat, certiorationem esse factam iuxta tenorem dicti *Art. 13.* Quæ omnia, si apud personas vulgares ruri vel in civitatibus renuntiatio fit in iudicio coram Magistratu, ab isto observari vult dictus *Articulus in fine.* Cancellar. Schmid. *ibid.*

## Respondetur ad Rationes dubitandi.

Ad 1. aio, *Authenticam* intelligi debere de casu, quo uxor non renuntiat debite suo privilegio; cum ibi simpliciter quidem invalida declaratur talis obligatio, si semel sive multoties eam suscipere tentaverit mulier, renuntiare tamen suo privilegio non prohibetur, quod alias de jure cuiuslibet est permiffum, minus renuntiatio annullatur.

Ad 2. Ibi tantum instituitur similitudo inter fideiussiones & officia publica, in quantum illæ, sicut

istæ, requirunt animum virilem, non verò decernitur æqualis prohibitio, neque fideiussio recensetur velut species officiorum civilium. Licet igitur inter fideiussiones & officia publica in *cit. l. l.* instituat similitudo quoad hoc, quod utraque foeminis non sint permiffa, non tamen instituitur æqualitas, ita ut prorsus eodem modo prohibeantur foeminis.

Ad 3. Quamvis causa efficiens, & conferens mulieribus hoc privilegium, sit Jus Publicum; causa ta-

D 3

mea



men finalis non est favor publicus seu Reipublicæ, saltem immediatè & principaliter intentus à Jure, sed favor particularis mulierum; ne inconsultò sibi præjudicent. *l. 2. ff. ad S. C. Vell. §. 2.* quod præcaverit, si certioratæ nihilominus pro marito (aut pro aliis) intercedant, & se obligent vel bona sua. Dein solummodo tunc in potestate privatorum non est renuntiare Juri Publico, quando Jus Commune nominatim aliquid fieri præcipit vel vetat, & sic insinuat, à privatis contra hujusmodi leges per conventionem aliud induci non posse. Cuiac. *ad l. penult. ff. de pactis.* nulla autem lege aut Jure Communi uxor prohibetur nominatim suo beneficio *Auth. si qua mulier est,* aut *S. C. Velleiani* renuntiare.

Ad 4. Negatur, quòd mulier

eàdem facilitate ac levitate ad renuntiandum inducatur, qua ad fideiubendum, vel aliter ad se obligandam bonæ suæ. *arg. l. de i. v. diversum ff. de novat.* nam fœminæ, utpote aliàs ex natura sua valde tenaces & avaræ, si de privilegio suo debitè certiores, ac moneantur de periculo, non tam facile renuntiabunt; cum hujusmodi renuntiatio donationem faciat. *arg. l. si mulier. ff. de condit. caus. dat. caus. non secuta.* donationes autem, maxime mulieribus, quasi pro miraculo habet Bald. *in l. si à sponso in fin. ff. de donat. ante nupt.* Decian. *vol. 3. resp. 32. n. 7.* Neque præsumptio imbecillitatis aut fragilitatis locum habet, ubi mulier de jure suo rite certiora nihilominus suo beneficio renuntiat.

## QUÆSTIO II.

*An Theresia pro Antonio, fratre Mariti sui, validè fideiusserit.*

Prænotandum, quòd Antonius respectu Theresiæ consideretur ut extraneus, consequenter Theresiæ non subveniat *Auth. si qua mulier,* ubi fideiussio pro marito penitus irritatur regulariter, ita ut actus sit nullus, sed ipsi tamen consulat *S. C.*

*Velleianum,* vi cuius intercessio pro alio seu extraneo, qui non est maritus, interposita (vel alius quicumque contractus) non irritatur quidem, sed mulier contrahit obligationem naturalem & civilem, ita ut contra eam detur actio, attamen inefficax, ita



ita ut mulier actionem elidere ac infirmare possit exceptione S. C. Velleiani, t. t. ff. & C. ad S. C. Vellei. l. 3. ff. de fideiussor. e. licet mulieres de jur. in 6. nisi pro sua fideiussione pretium accipiat notabile. l. 23. C. ad S. C. Velleian. vel nisi major 25. annis post primam intercessionem e lapso biennio rursus se obstringat, ita nempe, ut iuge biennium post primam obligationem fluxerit. l. 22. C. eod. vel nisi in rem seu utilitatem suam se obliget foemina. l. 3. ff. eod. vel nisi pecunia credita in mulieris propriam utilitatem notorie conversa sit. arg. aut. si qua mulier. & quia cessat ratio S. C. Vell. quæ fuit, ne foemina ob imprudentiam suam damnificetur: vel nisi animo decipiendi intercedat sciens, se non teneri efficaciter. l. si fideiussores, l. decipientis, ff. ad S. C. Vell. deceptis enim, non decipientibus subveniunt Jura. l. & primo. ff. sed ita demum. ff. eod. vel nisi iam solverit, ad quod solvendum se obligavit, modo jam sit major 25. annis, l. 1. in ff. l. quamvis mulier. C. eod. denique vel nisi fideiubeat in causa libertatis, aut 25. annis major pro dote cujuscunque mulieris. l. penult. & ult. C. eod. Quæstio igitur in eo consistit hoc loco, an mulier prævia certificatione renuntians in specie beneficio S. C. Velleiani (nam generalis renuntiatio, qua renuntiat omnibus muliebri sexui à lege concessis privilegijs, allen und jeden Weiblichen Freyheiten / non sufficit. Gail. 2. observ. 77. n. 3. quia re-

nuntiationes sunt stricti Juris, & ad alia se non extendunt, nisi quæ in specie expressa sunt. l. tres fratres ff. de Pall. quidquid dicant Bart. & Bald.) & quidem renuntiatione simplici, non juratâ, & non Judiciali, an, inquam, mulier sic renuntians obligetur efficaciter?

Negant Ant. Gomez, Card. Tusch. litt. M. concl. 421. n. 4. 5. Rauchbar p. 1. q. 32. n. 1. & alii apud Francisc. Balthasar resol. 12. n. 12. Imò Speculator & Berlich. p. 2. Concl. 19. n. 23. inspecto Jure Civili nec juratâ renuntiationi valorem concedunt. Allegant priores auctores pro se 1. l. si mulier perfecta. C. ad S. C. Vell. ubi habetur, quod mulier non teneatur, si intra biennium de novo intercesserit, vel priorem intercessionem nova cautione firmaverit, licet beneficio S. C. Velleiani renuntiaverit. 2. legem quidam in ff. eod. ubi habetur, quod rata haberi non debeant, quæ in fraudem S. C. Velleiani excogitata censentur: sed renuntiatio hæc censetur fieri in fraudem dicti S. C. ergo. 3. adducunt illa argumenta, quibus in priori quæstione impugnatur fideiussio uxoris pro marito, licet certiorata de suo privilegio renuntiet.

Affirmandum tamen est cum Fachinzo Controv. Jur. l. 2. c. 6. Jo. Harpprecht ad pr. Inst. de fideiuss. n. 47. Andr. Gail. observ. 77. cit. n. 4. & communi non solum sensu DD. sed etiam praxi, quam dari asserit Dionys.



nyf. Gothofred. ad l. ult. §. si mulier. ff. ad s. c. vell. Ratio est 1. quia Senatus-Consulto Vellei. solummodo consultum est simplicitati, imbecillitati, & ignorantia sexus mulieris. l. 2. §. ff. eod. sed, quæ scit, istud beneficium in sui favorem esse introductum, & tamen eo uti non volet, vel paciscitur se non usuram, non se conijcit in periculum damnificationis ex simplicitate, imbecillitate, & ignorantia: ergo ad illam hoc beneficium non pertinet. per l. nemo. 145. ff. de R. J. Neque invito obtrudunt Jura beneficium. l. invito ff. eod. Ratio est 2. quia quilibet renunciare permittitur juri aut privilegio propter se principaliter introducto. l. si quis in conscribendo C. de Pañ. Accedit 3. dispositio Juris Bavarici, quod tit. 1. art. 14. sic ordinat: Würdet aber ein Frau für jemand anderen / der nit ihr Ehwürth / Guet und Borg / und verschreib und verbindet ihr Persohn, oder ihr Gut / das ist ebenfahls nit gültig / NB. Eye verzeyhe sich dann der Freyheit des Senatus-Consulti Velleiani, welches will / das Ehein Weibs Persohn künde Borg seyn / und werde dessen ebenfahls / wie im vorgehenden Articul geordnet / genugsam erinnere. Ex quibus ultimis verbis clarè colligitur, quod renunciatio sub iisdem solennitatibus de Jure Bavarico fieri debeat, sub quibus, si uxor pro marito intercedat, de quibus in quaestione præcedente dictum. Idem

Jus Bavaricum in tit. 1. cit. art. 12. tria adhuc specialiter disponit. 1. ut si mulier pro extraneo fidejubeat, etiam maritus suus sigillo ac subscriptione renuntiationem corroboret. 2. ut, si pro marito fidejubeat, maritus actu certiorationis & renuntiationis uxoris suæ non interfit, ne nimirum postea uxor dicere possit, se ex respectu, persuasione, aut blanditijs mariti inductam fuisse. 3. ut, si mulier pro marito, live pro extraneo, intercesserit prævia legitima certioratione & renuntiatione, istæ fiant in Judicio, sicut plebeia, h. e. Rustica, vel Civica, & non immediate Electori subjecta, erectio nimirum publico seu Judiciali instrumento, ubi quantitas, super qua se obligat, est magna, nempe 50. florenos excedens, vel, ubi quantitas est parva & 50. florenos non excedens, insertione facta ad Protocollum, uti citatum art. 12. quoad discrimen inter magnam & parvam summam explicat Cancell. Schmid. ibid. n. 15. & Arnold Rhar. dissert. de potiss. Jur. Comm. & Bavar. different. conil. 19. conformiter ad tit. 14. art. 7. §. N. ubi ordinatur, ut etiam apud viros, qui sunt coloni vel cives vulgares, & fidejubeant, vel instrumentum Judiciale erigatur, vel saltem, si quantitas sit modica, Protocollo inseratur fideiussio.

Argumenta in contrarium adducta difficultatem non faciunt magnam; nam communia priorum quaestione ibidem sunt dissoluta, duo res-  
liqua



liqua sic diluo, primum quidem, dicendō, quōd in cit. l. si mulier perfecta sit sermo de fideiussione repetita, vel aliter confirmata, etiam accedente renuntiatione, quam non præcessit certioratio mulieris: nos autem solum tenemus, quōd renuntiatione mulieris post debitam certiorationem facta subsistat & intercessionem mulieris firmet, eō quōd certiorationem mulieris excitet, eamque

plena cognitione beneficii instruat: fideiussio autem repetita eam beneficii sui relinquat ignaram. *Secundum* verō negandō *Min.* cum illud tantum dicatur fieri in fraudem legis, quod lex fieri noluit, tamen verbis apertis non vetuerit. *l. contra legem. & l. seq. ff. de legib.* At verō, quōd lex S. C. Velleiani noluerit, ut mulier renuntiaret huic suo beneficio, nulli apparet.

### QUÆSTIO III.

*An Mutuum à dicta Theresia datum, & donatio ad causam piam, facta sine consensu mariti, fuerint actus validi.*

Videtur, quōd non. 1. quia passim introductum est vel per consuetudinem vel per statuta locorum, ut mulieres sine consensu mariti nec vendendi, nec donandi, nec mutuum dandi, nec ullum alium contractum, quo res suas distrahant, potestatem, imō nec legitimam personam standi in iudicio habeant, ut de Hispania testantur Ant. Gomez. & Covarr. de Gallia Andr. Tiraquell. de Germania Math. Berlich. p. 2. concl. 17. n. 2. de Bavaria Cancellar. Schmid ad Stat. Bay. III. 1. art. 16. n. 2. nam dictus art. 16. sic disponit: Es hat kein Frau macht, ohne ihres Manns wissen und willen, etwas von ihrem gütten, ligend, oder fahrendem Gut /

Recht / und Gerechtigkeit / zu verkauffen / zu verpfänden / zu verschreiben / zu verschenken / oder in anderer Weeg zu vergeben / noch auch sich einiger Ansprach oder Forderung, die gebührt, weder mit- noch ohne Nhd zu verzeihen / oder darun zu quittiren. Desgleichen sich mit jemand in Stritt und Rechtfertigung / oder auch Vertrag / einzulassen / noch einige Erbschafft anzutreten / oder ichtwas anderes zu thun / zulassen / und zu handeln / dardurch ihr Gut geschmäleret / oder sie zu Schaden kommen möchte. Beschehe aber solches, so hat es doch kein Krafft / und der Mann mag alsdann solche des Weibs Handlung inner fünf Jahren / nachdeme

(R. P. Pichler Decis. T. 2.)

E

es



er derselben in Erfahrung kommen / wohl widersprechen / und als nichtig aufheben. Doch ist ihr unbenommen / durch letzten Willen ihr Gut zu verschaffen, wem sie will / wie Recht ist.

Ampliant DD. hanc uxorum incapacitatem, ut etiam invalidè agant 1. si sine consensu mariti se conscribantur debitorum. 2. si votum donandi fecerint, & eo per mota donationem faciant. 3. si etiam donent ad causam piam, ut notat cum Jas. Tiraquell. & alijs D. Balthasar *resol.* 14. n. 23. 4. si ludendo pecunias perdant, quia lusus est contractus, Intellige tamen hæc de quantitate notabili, & non valde modica. 5. si maritus sit mente captus, ut licentiam det Judex prævia cognitione, necesse est. Limitant e contra iidem DD. quòd nempe consensus mariti non sit necessarius. 1. in alienatione bonorum uxoris necessaria, quam nimirum Leges vel Judex imperant. 2. in alienatione in pactis dotalibus conventa. 3. si uxor ex delicto teneatur ad multam pecuniariam. 4. si faciat donationem remuneratorem. 5. si ab alio constituta sit procuratrix. & illius nomine contrahat, vid. Balthasar & Cancell. Schmid *locis cit.* Observant denique DD. 1. quòd sufficere possit consensus mariti tacitus & præsumptus, v. g. si uxori permittat separatam aliquam negotiationem, & probabiliter etiam, si uxor marito præsentem, vel scientem, & non contradicentem, cum facillè contradicere posset, contra-

ctum inear. 2. etiam consensus ex intervallo temporis securus, quia rati habitio juxta *l. ult. C. ad s. C. Mar. red. & c. 10. de R. J. in 6.* retrotrahitur, & mandato æquiparatur, quando consensus alicuius requiritur principaliter ad evitandum damnum, & non ad authentizandam personam. 3. licet marito, sine cuius consensu uxor fecit contractum, nullitatem allegare & alienata revocare (de Jure Bavarico ad quinquennium duntaxat) permittitur sit, id tamen concessum non esse contrahenti cum uxore, si fors inde latus sit, vel contractum sibi inutilem aut etiam noxium esse advertat; quia hujusmodi contractuum irritatio spectat principaliter favorem maritorum, & extraneus cum uxore contrahens sine consensu mariti censetur dolo agere, & ideo beneficio indignus, læsionemque sibi imputare debet maritus, debito tempore non reclamans. 4. contractus etiam juratos, quos celebrat uxor sine consensu mariti, non valere, imò nec, si etiam sub juramento renuntiet statuto tales actus irritant, quia tales actus non tam in favorem mulieris, sicut intercessio mulieris tam pro marito quam pro extraneo, sunt irritati, quam in favorem ac reverentiam mariti; juramentum autem non firmat actus in alterius præjudicium cedentes, neque juri alieno renuntiare potest. Interim tamen, si uxor firmaret contractum juramento, vel renuntiare

statuto



statuto cum juramento, post mariti obitum teneretur implere juramentum, non ideo, quod mortuò marito actus sine ejus consensu gestus reviviscat, sed quia omne juramentum servandum est, quod sine dispendio salutis æternæ & sine præjudicio tertij servari potest. c. 28. de Jurat. scilicet ex obligatione Religionis personali.

Ratio, quod uxor invalidè contrahat sine consensu mariti, ulterior est, quia de Jure Antiquo (sicut hodie in Saxonia) uxores erant in perpetua mariti tutela, ut notat D. Rath de Jur. Comm. & Bav. different. c. 31. & jam olim de Jure Longobardorum mulier sine consensu mariti contrahere non poterat, ut notat Peckius de testam. coning. l. 3. c. 1. pr. utique ob sexûs & judicij mulieris fragilitatem simul, ac ob reverentiam erga maritum vel ut caput suum; quæ duæ rationes hodie adhuc militent in uxori- bus.

Ratio 3. petitur ab enumeratione partium: bona mulieris vel sunt dotalia, vel parnaphernalia: de neutris sine consensu mariti disponere vel contrahere ipsi permissum: non de dotalibus; cum eorum dominium, saltem civile, sit penes maritum. l. doce ancillam C. de R. V. non de paraphernalibus; quia, licet eorum dominium tam civile quàm naturale sit penes uxorem, administratio tamen illorum pertinet ad maritum: nemini autem licet disponere

de rebus alieno vel vel dominio vel saltem alterius administrationi subiectis sine consensu domini vel legitimi administratoris. Accedit, quod marito comperat usufructus tam paraphernalium quàm dotalium, ut constat ex l. ult. C. de pact. convent. ex pactis dotalibus, in quibus solet marito ille expressè concedi ad ferenda communia Matrimonij onera: & ex praxi communi: adeoque injuria fieret marito, si uxor sine ejus consensu de suis rebus disponeret.

Ut autem hucusque allata minime contemnenda, imò etiam vera esse censeam, nihilominus in ista facti contingentia censeo contrarium esse tenendum, & tam mutuum sine consensu mariti ab uxore datum, quàm donationem piam, ab eadem factam ex bonis receptitiis, ut species facti annotat, actus validos fuisse, Fundamentum sic sentiendū est geminum. 1. quia ex una parte spectato Jure Communi quæcunque mulier majorennis pro libitu sine alterius, etiam mariti, consensu res suas donare, vendere, oppignorare, vel alio quovis titulo alienare potest. l. 6. C. de revoc. donat. l. 12. C. de Pignor. & ibi DD. exceptis tantum intercessionibus & fideiussionibus, de quibus actum est in utraque quæstione præcedente: ex altera verò parte in loco, ubi mulier hæc, Theresia, dictos actus exercuit, hanc mulieribus potestatem vel statuto vel consuetudine ademptam esse,



esse, saltem quoad bona receptitia, non satis probatur, consequenter standum erit Juri Communi. 2. quia Theresia mutuum dedit, & donationem piam fecit ex bonis receptitijs, quæ penitus extracta sunt ab omni jure ac administratione mariti; nam bona *receptitia* uxoris dicuntur, quæ mulier tempore sponsalium aut in pactis dotalibus præcipuo recipit, & liberam super illis dispositionem, etiam quoad usumfructum, atque plenam administrationem sibi reservat, eaque nec tradit nec obligat marito administranda aut fruenda. Ex quo consequitur, quod mulier quoad ista bona sit omnino independens à marito vi pacti, & ea alienet absque omni injuria mariti, consequenter quod non indigeat, vel necesse non habeat consensum mariti requirere vel exspectare. Quapropter statutum Bavaricum *art. 16. cit.* horum bonorum liberam dispositionem expressè relinquit uxori, dum hanc clausulam apponit atque exceptionem: *Sie habt ihr dann in Etsichen (bonis suis) die Nutzung Verwaltung (usumfructum & administrationem) außtruckentsich vorbehalten.* Atque hinc per se fluit responsio ad Opposita.

Ad 1. Statuta & consuetudines particularium locorum, Juri Communi adversantes, extendendæ non sunt ad provincias & loca, ubi hujus-

modi statuta & consuetudines non vigent, nec satis probantur existere, ut est communis omnium sensus. In Statuto Bavarico perperam & captiosè ommissa est paulò antè recitata clausula & exceptio quoad bona receptitia. Ad 2. quidquid sit, an aliquando Jus Commune antiquum voluerit uxores esse sub perpetua tutela, & Jus Lombardicum sine consensu mariti veterit uxores contrahere, vel non: modò vivendum & pronuntiandum est juxta Leges recentiores. *l. 6. & l. 12. cit.* præsertim extra Lombardiam. Quod mulieres sint fragiles judicij, & debeant specialem reverentiam marito, potuit esse ratio statutorum & consuetudinum, mariti consensum requirentium: sed noti Juris est, quod ratio legis non sit lex, præsertim extra territorium, ubi statutum vel consuetudo talis non datur. Ad 3. Præter dotalia & paraphernalia, de quibus utique nihil potest regulariter uxor sine consensu mariti, unisatis probatum esse censeo, ex pacto tamen subinde etiam receptitia bona obtinet vel retinet uxor, in quibus nihil juris marito competere voluit, & cum ipso convénit. Cur ergo sine illius consensu de ijs disponere non valeat, cum de Jure quilibet rerum suarum moderator & arbitretur. *l. 21. C. Mandati?*